



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Taurinensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ad nos sub tuo conclusa sigillo transmittas, præfigens partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent. Ceterum quoniam à principio protestatus est præfatus M. nobilem virum Simonem de Surrento Germanum Archiepiscopi memorati & quosdam alios ipsius Archiepiscopi consanguineos multa impedimenta per suam potentiam præstitisse quò minùs probationis copiam in nostra præsentia secum habuerit, eùm quosdam induxerint ad jurandum ne adversùs Archiepiscopum aliquid dicerent, & alios minis ac terroribus à perhibendo testimonio nitantur arcerere, nòs ex officio nostro super hoc providere volentes, mandamus ut generalem feras excommunicationis sententiam in omnes qui aliquod impedimentum ipsi M. præstare præsumpserint in testibus producendis. Illos autem quos, sicut dictum est, jurasse constiterit quòd contra Archiepiscopum nihil dicerent denunties juramento hujusmodi non teneri quòd minùs valeant in hac causa perhibere testimonium veritati. Si quis autem de consanguineis Archiepiscopi aliquos de testibus præsumpserit impedire, quia verisimile non videtur ut eo invito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occultæ, eò quòd, si voluerit, poterit prohibere, eùm secundùm legitimas sanctiones ostendat se iniquam litem fovere, ac experiri debeat iudicis auctoritatem elusam qui defensionis copiam subtrahit adversario, eundem Archiepiscopum ab officio pontificali suspendas, & facias sublato appellationis obstaculo manere suspensum donec illum fecerit à tali præsumptione cessare. Tu denique frater Archiepiscopo &c. Datum Laterani v 11. Idus Novembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

EPISCOPO TAVRINENSI.

Venerabilis frater noster Aquensis Episcopus nobis per litteras suas humiliter supplicavit ut eundem senectute confectum à sollicitudine pontificalis officij absolvere dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cessionem ipsius recipias vice nostra, ipsum, si à cedendi proposito fortè destiterit, ad id per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Ejus autem cessione recepta, relaxes suspensionis sententiam quam dilecti filij Abbas sancti Stephani Bononiensis & magister Gra. in eum auctoritate nostra protulisse noscuntur, ac sibi de proventibus

Aquensis Ecclesiæ juxta facultates ipsius & necessitatem personæ provisionem congruam facias assignari, injungens Capitulo ejusdem Ecclesiæ ut personam idoneam sibi per canonicam electionem præficiant in pastorem, non obstante privilegio Alexandrinis ab apostolica sede concessio, eùm eodem reddiderint se indignos. Tu denique frater Episcopo &c. Datum Laterani 11. Idus Noembris, anno decimo sexto.

CAPITULO MEDIOLANENSI.

Receptis litteris nostris, quibus vobis dedimus in mandatis ut causam electionum & postulationis in vestra celebratarum Ecclesia, quam dudum ad petitionem vestram duximus committendam, eorum iudicibus quibus illam commisimus usque ad festum sanctæ crucis proximò præteritum finaliter prosequi studeretis, alioquin ex tunc procuratores idoneos ad nostram curaretis præsentiam destinare, pastorem quem Domino inspirante vobis & eidem providerimus Ecclesiæ recepturos, nuper dilectos filios Alkerium Subdiaconum nostrum, Stephanum Balbum, & Vvillumum concanonicos vestros ad sedem apostolicam cum vestris litteris destinastis, cum multimoda gratiarum actione, mandatum nostrum humiliter admitturos, suppliciter postulantes ut quem mallems de gremio Ecclesiæ vestræ vobis dignaremur concedere in pastorem. Nos autem super hoc deliberatione habita diligenti, suspicionis & dissensionis materiam vitare volentes, dilectum filium Henricum Cimiarcham Ecclesiæ vestræ, virum providum & honestum, in pastorem vobis duximus concedendum, per apostolica scripta mandantes quatenus ei tamquam pastori vestro reverentiam & obedientiam impendatis debitam ac devotam. Datum Laterani v 11. Idus Novembris, anno xvi.

PRIORI ET CONVENTUI Farfensibus.

Quàm graviter & enormiter propter intrinsecam & extrinsecam pestem in spiritualibus & temporalibus à longo jam tempore Farfense monasterium sit collapsum manifesta demonstrant indicia & certa comprobant argumenta. Nos autem, quibus divinitus omnium Ecclesiarum est sollicitudo commissa, frequenter ad ejus curationem intendimus, sed propter lethalem plagam cordis & capitis, quæ quasi à planta pedis usque ad verticem corpus infecit, nondum illam potuimus ex

Vide lib. 15. epist. 189.

Epist. 147. Datus Archiepiscopo. Vide lib. 15. epist. 112.

Epist. 142. De electione Abbatis.

Epist. 140. Ut recipias cessionem Episcopi Aquensis